



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. I. De jure servitutis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

# ARTICVLVS QVINTVS.

*De iure seruitutis, pignoratitio, & hypothecario.*

§. I.

*De iure seruitutis.*

139. **S**eruitus ut sic prout præscindit à personali, & reali definitur ab Haunold, *tract. 3<sup>o</sup> n. 63.* quod sit jus in re alteri (nempe rei, vel personæ) constitutum jus Domini minuens alterius augendi causa, ut cogatur Dominus, aut quid non facere in suo, aut alterum facientem pati, quatenus commoda utentis requirunt: hæc est definitio seruitutis activæ ut sic: passiva autem seruitus dicto juri respondens: est ipsa obligatio, qua res aliena, aut persona usui nostro obstricta est.

Hinc dividitur in personalem & realem: personalis dicitur, quæ à re aliena immediatè debetur personæ, à qua & in cuius utilitatem Dominus illius rei aliquid pati in suo cogitur. Ejus tres sunt species usus, usufructus & habitatio: de usa constat à numero 127. de usufructu à numero 135. habitatio est jus habitandi in ædibus alienis salvâ illarum substantia. Quæ definitio, nec coincidat cum servitute usus in ædibus constituta addit Haunold. n. 147. habitandi vel per se vel per alium, conformiter §. sed si, cui habitatio *Instit. de usu & habitatione*: U-

bi habetur, quod vi hujus juris non solum quis cum liberis, & uxore possit habitare, sed habitationem etiam alijs elocare, per quod differt ab usu, ab usufructu autem, quod jus habitandi finiatur solum morte habitantis *L. habitatio Cod. de usu, & habitatione.*

Realis servitus, est quæ immediate ab uno prædio debetur alteri: servitus igitur prædialis dicitur illa, quam unum prædium debet præstare alteri prædio ad diversum Dominum spectanti, eam sic definit Schneid. *quod sit jus in re aliena contra naturam constitutum, quod prædij dominantis utilitatem auget, servientis verò diminuit.* Dicitur constitutum jus contra Naturam, etsi enim de natura rerum sit esse in Dominio hominum, est tamen contra earundem naturam servire non Domino. Prædium Dominans vocatur illud, cui debetur servitus, serviens, quod debet servitutem. Alia est urbana, alia rustica, quæ divisio non desumitur à rure, vel urbe, prædium enim Urbanum in jure dicitur, quod extructum est principaliter ad habitandum, vel etiam lucri, aut voluptatis causa, id-

cir-



circo vocatur *ades*, inter quæ etiam numerantur stabula meritoria pro recipiendis mercede tam equis, quam hostibus. Rusticanum prædium est, quod principaliter est exstructum in usum pro conservandis fructibus, & pecoribus, uti sunt stabula, granaria, horti olitorij, herrea separatim exstantia, quæ omnia Comuni nomine vocantur fundi. Varias tam prædialis rusticæ quam urbanæ servitutis species vide apud Cit. Haunold. à n. 159. ad 200. Aliquas mox subjiciemus.



§. II.

De varijs speciebus servitutis Urbanae & Rusticanae.

DE hoc vide infra à n. 413.

§. III.

De pignore ejusque differentia ab hypotheca.

140. IN jure maximè momenti est nosse, in quo sensu voces accipiuntur, quia ab eorum acceptione pender, qualiter legislator usurpaverit, cum ex vocibus ejus mens judicanda sit, unde cum vox pignus, & hypotheca diversimodè sumatur in jure, ad evitandam confusionem usus duplicis hujus vocis, est prænotandus;

Sumitur igitur primo pro contractu fundante actiones pignoratitias: unde cum in latiore Significatione pignus, & hypotheca idem sonent L. 5. §. 1. ff. de pignoribus & hypothecis, hoc sensu pignus; ac hypotheca nominis tantum sono differt, nempe ut notant interpretes, si considerentur relatè ad actionem hypothecariam, proprie autem pignus dicitur, inquit Lex §. 1. ff. de pignorat. act. quod ad creditorem transit, hypothecam autem, cum non transit, nec

possessio ad creditorem. Sic sumitur pignus toties nempe strictè, quando aliquid onus illi imponitur.

Secundò sumitur pro pignoris Instrumento L. 22. ff. eodem. Tertio pro objecto materiali dicti contractus, seu re, quæ datur in pignus. Quarto pro ejusdem contractus effectu, seu pro jure exinde creditori quasi. Porro cum hic contractus à jure adnumeretur contractibus, qui re, seu rei traditione perficiuntur, hicque conceptus sit specificus, nec hypothecæ communis, hinc prius est exponendus conceptus generalis, seu communis pignori, & hypothecæ specificè sumptis, postea utriusque specificè differentia.

Dico primò pignus sumptum pro contractu sub generali conceptu præscindente à specifico conceptu pignoris, & hypothecæ est contractus quo aliquid cre-

S 3

dita-